

tis forcipibus. Superior pars in primoribus his mouetur; inferiore immobili. Dextrum brachiū omnibus, maius. Vniuersi ubi aliquando cōgregantur, os ponti euincere non valent: quamobrem regressi circumueūt, apparetq; tritum iter. Pinnoteres autē vocatur minimus ex omni genere, ideo opportunus iniuriæ. Huic solertia est inanium ostrearum testis se condere: & cum accreuerit, migrare in capaciores. cancri in pauore etiam retrorsum pari velocitate redeunt. Dimicant inter se vt arietes aduersis cornibus incurstantes. Contra serpentū ictus medentur. Sole cancri signum transeunte, & ipsorum, cum exanimati sint, corpus transfigurari in scorpiones narratur in sicco. Ex eodē genere sunt echini, quibus spina pro pedibus. Ingredi est his in orbem volui: itaque detritis sæpe aculeis inueniuntur. Ex his echinometra appellatur, quorum longissima spina, calices minimi. Nec omnibus idem vitreus color. Circa Toronen candidi nascuntur, spina parua. Oua omnium amara, quina numero. Ora in medio corpore in terram versa. Tradunt seuitiam maris præ sagire eos, correptisque operiri lapillis, mobilitatem pondere stabilientes: nolunt volutatione spinas atterere. Quod ubi videre nautici, statim plurius ancoris nauigia infrenant.

De cochleis.

CAP. XXXII.

In eodem genere cochlea, aquatiles terrestresque, exerentes se domicilio, binaq; ceu cornua protendentes contrahentesq; oculis carent: itaq; corniculis prætentant iter.

De pectinibus, murice, & concharum generibus.

CAP. XXXIII.

Pectines in mari ex eodem genere habentur, recōditi & ipsi in magnis frigoribus, ac magnis aestibus: vnguesq; velut in igne lucentes in tenebris, etiā in ore mandentium. Firmioris iam testæ murices, et concharū genera: in quibus magna ludentis naturæ ^{* colorum} varietas, tot ^{* oculorum} differentia, tot ^{* figuræ} planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe castis, in dorsum elatis, leuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatis intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato: iam distinctiōe virgulata, crinita, crispa, canaliculata, ^{* pectinatim} imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata breui nodo ligatis, toto latere cōnexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis. Nauigant ex his veneriæ, præbentesq; concauam sui partem & auræ oppositas, per summa aquorum velificant. Saliunt pectines, & extra volitant, seq; & ipsi carinant.

De diuitijs marinis.

CAP. XXXIII.

Ed quid hæc tam parua commemoro, cum populatio morum atque luxuria non aliunde maior quam è concharum genere proueniat? Tam quidē ex tota rerum natura damnosissimum mare est, tot modis, tot mēsis, tot piscium saporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt.

Quomodo & ubi inueniantur margaritæ.

CAP. XXXV.

Ed quota hæc portio est reputantibus purpuras, conchyliæ, margaritæ? Parum scilicet fuerat in singulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, totoq; corpore à feminis iuxta virisq; gestarentur. Quid mari cum vestibus? Quid vndis fluctibusq; cum vellere? Non recte recipit hæc nos rerum natura nisi nudos. Esto, si tanta ventri cum eo societas, quid tergori? Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur. Adeo per totū corpus, anima hominis quæ sita maxime placent. Principium ergo culmenq; omnium rerum pretij, margaritæ tenent. Indicus maxime has mittit oceanus. Inter illas belluas tales tantasq; quas diximus, per tot maria venientes, tam longo terrarū tractu, è tantis solis ardoribus, atq; Indis quoque in insulas petuntur, & admodum paucas. Fertilissima est Taprobane & Toidis, vt diximus in circuitu mūdi: item Perimula promontoriū India. Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri. Origo atq; genitura conchæ, est haud multum ostrearum conchis differens. Has ubi genitalis anni stimulauerit hora, pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea eniti: partumque concharum esse margaritæ pro qualitate roris accepti: si purus inflexerit, candorem conspici: si vero turbidus, & factum sordescere: eundem pallere, cælo minante conceptum: ex eo quippe constare, cælique eis maiorem societatem esse quam maris, inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenū. Si tempestiue satientur, grandescere & partus. Si fulguret, comprimi conchas, ac pro ieiunij modo minui. Si vero & tonuerit, pauidas ac repēte compressas, quæ vocāt physemata efficere, speciē modo inani inflatam sine corpore: hos esse concharum abortus. Sani quidem partus multiplices constant cute, non improprie callum vt existimari corporis possit, itaq; & purgantur à peritis. Miror ipso tantum eas cælo gaudere, sole rubescere, candoremq; perdere vt corpus humanum. Quare præcipuum custodiunt pelagiæ, altius mersæ quam vt penetrent radij. Flauescunt tamen & illæ senectæ, rugisq; torpescunt: nec nisi iuuenta constat ille qui queritur vigor. Crassescunt etiam in senectæ, conchisq; adhærescūt, nec ijs auelli queunt nisi lima: quibus vna tantū est facies, & ab ea rotunditas, auersis planicies, ob id tympania nominantur. Cohærentes videmus in conchis hac dote vnguēta circumferentibus. Cætero in aqua mollis vnio, exemptus protinus durefcit. Cōcha ipsa cum manum videt, cōprimit sese, operitq; opes suas, quæ propter illas se peti: manumque si præueniat, acie sua abscondit, nulla iustiore pœna, & alijs munita supplicijs. quippe inter scopulos maior pars inuenitur: sed in alto quoque comitantur marinis canibus: nec tamen aures seminarum arcentur. Quidam tradunt, sicut apibus, ita concharum exanimibus singulas magnitudine &

* pectinatim diuisa, imbr.